

mine Actorum Academiae Regiæ Scientiarum quod prelo subactum mox tradetur curiosis. Quidquid hac de re tentatum fuit et comprobatum a pluribus annis uterque seorsim declaravit; artem hanc melius ab authoribus accipies depromptam quam si tibi illam brevi compendio enarrare susciperem.

Schieræ dissertationes nondum apud nostros bibliopolas prostant et sero venient. Quas vero misisti varias et multiplices accepi, Philosophiam Botanicam, Acta Upsaliensia, et alia bene multa. Vigent *Poa vivipara* et *Chamærubus*; qui hæc attulit simul semina tradidit. Pro tot donis grates amplissimas refero, et vix spero posse me unquam collata erga me beneficia tua æquare.

Quæ de Calamistri floribus scripsisti legere aveo, et figuram videre tuo junctam Itineri Scanico. Causam morbi equorum lethifici detectam a te didici, necnon hordei exesi et evanidi. Sic me edocere semper allaboras ubi primum quamlibet rem e tenebris eduxisti; sic se prodit tuus in me ubique amor.

Axyridis et *Napææ* nova genera placent. *Linaria scoparia* gaudet floribus hermaphroditis. Grata fuere plantarum vestræ Lapponiæ a D. Montin oblata.* Fac quæso ut me agnoscat istius munificentiae memorem. Ingratus rediit Missa. Quomodo se gesserit in Sueciâ et apud Batavos ignoro; vidi solum modo propositum Novæ Materiæ conspectum ab illo editum Amstelodami; sed ridiculum. Accessit bis apud me, siluit de suo itinere, totum se praxi medicæ vovere jactitat, et quasi novus homo fugit quos coluerat antea et amicos et collegas. Nulla verba de te fecit. Ille laudat, ut audio, Hallerum, Bæckium, Burmannum, Royenum et alios medicos, cum quibus familiaritate conjunctum esse dicit.

Si volueris novum quid deinceps mittere, uti poteris benevolentiam D. Bæck aut D. Salvii, qui ambo curabunt deferri ad D. Delaisemant pharmacopæum, vel ad D. Danguerville, Rothomagi, et tuto res quæcumque venient. Optarem ut Salvius Systematis Naturæ exemplaria nonnulla Parisiis divenderet; hujus editio Lipsiensi anteponenda est. Salutat te frater meus. Diu vivas artis nostræ decus. Te semper colere amant D. Laserre et D. Basseporte. Me vero diligere ne desinas, et inter nos vigeat perpetuum idem et mutuuum studium. Vale.

Dabam Parisiis die 19^a Februarii anni 1751.

* Vide supra, not. * ad p. 206.